

Aug 6 1

JOANNIS PHILIPPI BREYNII,

M. D. ACADEM. IMPERIAL. NAT. CURIOS.
ET SOCIET. REG. LOND. SODALIS ,

HISTORIA NATURALIS
**COCCI RADICUM
TINCTORII,**

*QUOD POLONICUM VULGO
AUDIT;*

PRÆMISSIS QVIBUSDAM COCCUM
IN GENERE ET IN SPECIE COCCUM EX ILICE,
QVOD GRANA KERMES ET ALTERUM AMERICA-
NUM , QVOD COCHINILLA HISPANIS
DICITUR SPECTANTIBUS.

CUM FIGURIS COLORIBUS NATIVIS PICTIS.

GEDANI,

SUMTIBUS AUCTORIS.

PROSTANT APUD CORNELIUM A BEUGHEM.
M DCC XXXI.

*

*

Multum egerunt, qui ante nos fuerunt,
sed non peregerunt. — — Multum adhuc
restat operis, multumque restabit: nec ulli
nato post mille saecula, praeccludetur occasio,
aliqvid adhuc adjiciendi.

L. Annæus Seneca Epist. LXIV.

*

*

*

PER - ILLUSTRI VIRO
HANS SLOANE
BARONETTO

REGIÆ MAJESTAT. BRITANNICÆ
ARCHIATRORUM COMITI
SOCIETATIS REGIÆ

ET

COLLEGII MEDICORUM
QVÆ LONDINI FLORENT

PRÆSIDI GRAVISSIMO

&c.

MÆCENATI SUO ET FAUTORI

NESTOREOS ANNOS ET FELICITATEM
PERENNEM

JOANNES PHILIPPUS BREYNIUS.



PREäsentem Coccii Radicum Tin-
ctorii Historiam Dissertationi
meæ ad prelum jam fere paratæ de
Conchyliis, sive Testaceis Polythalamis-
is coronidis loco annextere & Per Il-
lustri Nomini Tuo, MÆCENAS
OPTIME inscribere primo decre-
veram; ut publicum aliquod Pietatis
meæ & gratæ mentis erga Te exstaret
Monumentum. Cum vero postmodum
dictæ

dictæ Dissertationi, cui Tuō & Illu-
strissimæ Societatis Regiæ jussu cogi-
tationes meas de Methodo Testacea
Animalia in Classes & Ordines secun-
dum Naturæ ductum magis, ut reor
convenientem, quam hactenus factum,
redigendi, præmittere & limato Vestro
Judicio submittere ausus sum, ob ma-
teriæ affinitatem Schediasma de Echi-
nis marinis nova methodo in certa ge-
nera distribuendis, cum Tabulis aliquot
æneis hoc argumentum illustrantibus,
subjungere in animum induxi; Ta-
bulæ vero artificis exteri manu scal-
pendæ qvandam me invito Opusculi
mei publicationi injiciunt remoram.

(3

Non

*Non inconsultum Tibique ingratum
fore confido, si hanc quæ agmen clau-
dere debuerat Commentatiunculam,
mutato consilio nunc præmittam, &
Tibi, Vir Summe, materiæ novitate
& dignitate ductus offeram; qua pro
Candore Tuo & Humanitate utere,
donec quod brevi, DEO volente, fu-
turum spero, promissa se Tibi sistet Dis-
sertatio. Vale Splendidissimum Lit-
terati Orbis Decus Tuoque me Favo-
re & Amicitia ulterius dignari desine
nunquam. Dabam Gedani e Museo
A.R.S. MDCCXXXI. ipsis Calendis
Maji.*

BENE-

BENEVOLO LECTORI.

S.

PAUCA esse, qvæ scimus in Rerum Naturalium Historia, B. L. habita ratione eorum, qvæ nos fugiunt, facile concedet, qvicunqve scripta Auctorum de hoc themate tractantium sobrie excusserit ipsamqve Naturam in suis Regnis aliquantulum penitus introspexerit; immo deprehendet multa, qvæ pro veris nobis traduntur & pro certis obtruduntur, ea non esse, sed dubia sæpe & haud raro plane falsa. Exemplo nobis jam sit Insectorum Historia.

Hæc

Hæc animalia, mole licet ceteris, qvæ perfectiora vulgo, sed minus recte, dicuntur, multum cedant; illa tamen multiplici varietate & inimitabili artificio, Gloriam Creatoris sui, muta qvamvis fere, deprædicantia, Deumqve Maximum in minimis ad stuporem usqve sæpe demonstrantia, longe superant. Qvibus si præclaram utilitatem, qvam multa ex iis Humano Generi in communi vita præbent addamus, qvis non videt, eorum sedulam inquisitionem vanitatis, vel curiositatis non tantum non arguendam, sed magnis potius laudibus extollen-
dam, omnibusqve modis excolendam esse. Non eqvidem inficias ire possumus, plurimos Excellentes Viros, recentioribus in primis temporibus, in hac arena desudasse, nobisqve de iis non contemnenda reliquisse

monu-

monumenta. Qvis enim *Moufeti*, *Aldrovandi*, *Swammerdamii*, *Malpighii*, *Goedartii*, *Rhedii*, *Raji*, *Listeri*, ceterorumque qvibus præfertim ex recentissimis *Vallisnerius* oculatissimus generationis & metamorphoseos Insectorum indagator, *Meriana* vero & *Albinus* figurarum elegantia in primis laudandi addantur, merita non novit & præclara scripta. Interim tamen certum est, multum adhuc abesse, ut ex omnibus iis Historia Insectorum condi pos sit universalis, non dicam omnibus numeris absoluta, qvod nunquam fiet, cum nihil sub sole perfectum sit; sed qvæ Philosopho aliquo modo tantum satisfacere queat. Nimirum laudatorum Virorum Volumina sedulo prius excutienda, vera ubique a falsis secernenda, innumeræ Insectorum species ad-

XXC

huc

huc conq̄vrendæ, examinandæ, describen-
dæ, eorumq; generationes, metamorpho-
ses, actiones & usus, oculo tam nudo,
q;vam armato, diligenter observanda, litte-
risq; mandanda, q;vam Insecta ad cer-
ta genera & in facilem & naturalem me-
thodum reduci, sicq; universalis eorum &
accurata, in DEI Omnipotentis Gloriam &
Generis Hu;mani usum, componi posfit Hi-
storia. Hæc ratio nuperrime *Doctissimum*
Joannem Leonardum Frischium movit, ut Inse-
cta in Germania oriunda diligenter collig-
ere & observare atq;e accuratius, q;vam
ha;ctenus factum fuit, describere eaq;e Pu-
blico non invidere cooperit. Nec dubium
est, si ita pergit laudatus Vir, ejusq;e exem-
pli plures incitati, simile quid in suis qvis-
q;e regionibus præstent, q;vin hæc collecta-

nea

nea aliquando, una cum iis, quæ in Commentariis Academiæ Regiæ Scientiarum Parisiensis & Transactionibus Philosophicis Anglicanis, ut & Ephemeridibus Academiæ Naturæ Curiosorum Germaniæ & Th. Bartholini Actis Haffnensibus de hac materia reperiuntur, ad Historiam, quam jam jam innui, multum conferre possint: alius alio enim plura invenire potest, nemo omnia; ut recte dixit Lemosus in Judic. Opp. Hippocrat. in Proæmio. Ut vero & ego symbolam aliquam, tenuem licet, ad hunc scopum attingendum adferam, Insestum selegi, quod tam ratione metamorphoseos, quæ plane singularis eit, quam utilitatis, quæ ex eo redundare posset, attentionem non minus, quam inquisitionem & descriptionem meretur. Est vero illud Coccum, quod in radicibus Polygoni, humilis nec ullius

ullius alias fere usus herbulæ reperitur, &
Coccus, sive *Coccum Polonicum*, salutari solet,
cujus ex diligent observatione succinctam
Historiam in lucem edere hic constitui;
plura in posterum si hæc Tibi non ingrata
fuerint de usu ejus Medico & Tinctorio
additurus. Tu interim L. B. pagellas hasce
pervolve & MAXIMI NUMINIS etiam
in Minimis adorandam mecum mirare Sa-
pientiam. Vale.

HISTO-



HISTORIA NATURALIS COCCI TINCTORII RADICUM, QVOD POLONICUM VULGO AUDIT.



OCCUS , sive COCCUM vocabulum est origine Græcum , Latinis in genere Granum denotans ; specialius vero & per excellentiam Coccum Plinio (a) audit Granum ex Ilice collectum , cuius apud antiquos in tingendo colore , qui inde coccineus dictus , usus erat per celebris .

Hodierna die Cocci sive Grani tinctorii species numerantur tres : videlicet I. Coccum ex Ilice , II. Coccum Americanum , sive Cochinilla & III. Coccum radicum , sive Polonicum .

A

Forte

(a) Hist. Nat. L. XVI. C. 8. item L. IX. C. 42. item L. XXIV. C. 4. & L. XXII. C. 2.

HISTORIA NATURALIS

Forte non incongrue addi his posset quarto loco Coccum ex Gummi Lacca ; cum vero manca adhuc hujus infecti sit descriptio, illud differimus, donec plenior & accuratior comparuerit. (b)

I. Itaque COCCUS, sive COCCUM ex Ilice, Theophrasto (c), Dioscoridi (d), & Plinio jam notum & Arabibus Kirmiz, sive Kermes, & Alkermes (e) dictum, est Granum tinctorium, qvod in Ilice aculeata cocci glandifera, C. Bauhin : (f) cortici ramulorum, rarissime ipsis foliis adhaerens, figura sphæricum, pisi majoris magnitudine, olim in Asia, Galatia ubi optimum, Africa, Hispania, Lusitania & Gallia (g) ; hodie in Gallo-Provincia & Lingvadocia in primis, ut & in Hispania meridionali & Lusitania reperitur, cujus in tingendo colore, qui hinc Coccineus appellatus, & Chermesino (*) non tantum, sed & in Medicina jam olim usus innotuit.

Hic frutex, Dioscoridi (h) κόκκος βαρφυὴ i.e. Coccus tinctoria in feminino genere audit ; Cujus egregiam iconem, cum julis & glandibus ipsisque adhaerentibus Coccis ac vermiculis ex

(b) De hoc Vid. Godofredi junioris Observationem dans les Memoires de l'Academie des Sciences de l'Ann. 1714. p. 121. & seqq.

(c) Hist. Plantar. L. III. C. 16.

(d) Libr. IV. c. 48.

(e) Vid. Bocharti Hierozoicon L. IV. c. 27. p. 624. & seqq. ubi Clarissimus Auctor plurima de Cocco ex Sacris Litteris, Auctoriibusque profanis Græcis, Latinis & Arabibus notatu dignissima congettavit.

(f) Pinac. Theatri Botanici p. 425.

(g) Teste Plinio locis cit.

(*) Chermesinus color, Gallis cramoisi mutuatur ab Arabum Kermezi, quod derivatur a Kermes, qvod Vermiculum denotat ; Vid. Bochart. loc. cit.

(h) Libr. IV. C. 48.

ex iis prodeuntibus, videre licet apud Nissolum, dans les Mémoires de l'Academie des Sciences de l'ann. 1714. ad calcem, ut & apud Garidellum in Historia Plantarum Gallo-Provinciae (i).

De Cocco ipso ejusque generatione & collectione præter Quinqueranum de laudibus Gallo-Provinciæ, Caroli Clusi rariorū Plantarum Historia & P. Belonii Observationes evolvi merentur; ut & qvi omnia ex citatis auctōribus huc facientia & plura ex aliis congeffit Joannes Bodæus a Stapel in Theophrastum (k) & Joannis Cypriani Continuatio Histor. animalium (l); ex recentioribus vero Nissolius (m), Comes Aloysius Ferdinandus Marsilius (n), Hyacinthus Cestonus (o) & omnium recentissimus Petrus Garidellus (p).

Hic nimirum Cocci generationem ex diligent & repetita Emerici & propria observatione in Gallo-Provincia, insecto, sive vermiculo cuidam perminuto, hexapodi, non alato adscribit, quod se cortici ramorum certæ speciei Ilicis, quæ coccifera hinc audit, primo vere affigit, ibidemqve immotum hærens nutritur & pedetentim incrementum capit, figuramqve Cocci sphaericam & cavitatem acquirit interne aliquot millenis minutissimis ovulis oblongis repletam, ex qvibus temporis trætu, minuti prodeunt vermiculi prioribus plane similes, qvi hinc inde vagantes, insequente vere Ilicis se prædictæ ramulis,

A 2

ut

(i) Histoire des Plantes, qui naissent en Provence p. 246. & seqq.

(k) P. 236. & seqq. Multa quoque critica de Cocco tinctorio habet Cl. Salmasius in Exercitat. Plinianis p. 212. & alibi passim; nec non in Homonymis Hyles latricæ p. 92. & seq.

(l) Part. III. C. 8. §. 37. & seqq.

(m) Memoires de l'Academ. des Sciences de l'ann. 1714. ad calcem.

(n) Annotationi interno alla Grana de' Tintori, detta Kermes.

(o) Istoria della Grana del Kermes, dal Sig. Diacinto Cestoni.

(p) Loc. cit.

ut illi, applicant & in nova Cocco abeunt; sine ulla alia metamorphosi in multis alias Infectis obvia &, ut putat, sine ulla sexus differentia.

Ceterum idem Auctor observat ex iisdem Coccis parvulas saepe prodire muscas, ex aureliis scilicet in pulpa Coccorum haerentibus natas. Qvas aurelias suam ovis depositis ibidem ab ejusmodi muscis parentibus, Vesparum ichneumonum more, originem debere, nullus dubito, licet a Nissolio æque ac Garidello locis citatis generatio earum modo aliquantulum diverso statuatur.

Cum hac Garidelli de generatione Coccorum nimirum sententia facile conciliari possunt, quæ paucis ante ipsum annis de Cocco hoc ex *aviovia*, in loco natali tradidit Nissolius (q). Immo eandem confirmant, quæ eodem quo Garidellus anno, iterata experientia & longa observatione edoctus annotavit Hyacinthus Cestonus (r) de Cocco quodam in llicibus pumilis Liburnensis territorii nascente, a vero Cocco tinctorio colore tantum tum Cacci, tum vermiculorum diverso; qui tandem concludit: Coccum æque ac insectum illud, quod *Cimice degli Agrumi Italisi*, vulgo *Cimicis Aurantiorum* (*) titulo innotuit, esse Zoophytum, sive ut auctor explicat, animal androgynum, quod

(q) Loc. cit.

(r) L. cit. p. 168. & seq.

(*) Hujus Infecti, etiam jam in terris Septentrioni vicinis, in primis Hesperidum Plantarumque exoticarum Cultoribus satis noti, Generationem vid. apud Cestonum lib. cit. p. 165. & seq. quæ aliquantulum differt ab ea, quam D. de la Hire & Sedileau dans les *Memoires de Mathematique & de Physique*, de l'Academie Royale des Sciences de l'Ann. 1692. a Paris p. 8. & seqq. observasse testantur. Cestonus hoc insectum sexu differre, aut copula jungi observare non potuit, adeoque pro Androgyno habet; De la Hire & Sedileau, sexu diversum esse conjectantur, non probant.

quod plurimarum Plantarum instar, sine differentia sexus, ova a se ipso edit, fœcundata; prouti quoque de Ostreis, Mytulis, Echinis, Stellis marinis, similibusqve hodie a Naturæ scrutatoribus statuitur.

Huic quidem Illustriss. Comitis Marsillii (s) observatio e diametro contraria esse videtur; siquidem, ut ipse observasse putat, Coccum oritur gallæ instar ex depositis ante autumnum a musca sui generis ovis in cortice Ilicis aculei beneficio læso, ex quibus subsequentे vere plenam maturitatem adeptis, excluduntur vermiculi hexopodes non alati, qui tandem in parvas abeunt muscas & sic porro.

Fateor quidem Garidelli & Cestoni sententiam initio præ Marsilliana mihi magis visam fuisse paradoxam; sed ubi omni deposito præjudicio & a partium studio alienus rem examinavi accuratius, a priorum partibus potius stare decrevi. Idq; eo magis, quia Garidellus & Cestonus in suis observationibus summa ~~anæstæ~~ institutis convenient, consentiente etiam Nisfolio; qui omnes suas observations, quæ facile cum iis quæ omnium primus Quinqueranus de Cocci generatione tradidit, annotante etiam Vallisnerio (t), conciliari possunt, circa Coccum in locis natalibus, non una, sed repetitis instituerunt vicibus, adhibitis in subsidium bonæ notæ microscopiis, cum Illustriss. Comes suas tantum, ut hospes, prope Marsiliam festinanter & plausibili sua sententia forsan inbutus condiderit. Quod judicium ne vitio mihi vertat laudatus Comes, cuius summa merita in Republ. Litteraria & novi & veneror, vetat Summi hujus Viri Candor, utpote cui nil magis, quam veritas cordi est; cum adhuc confirmetur analogia cum Cocco Americano & altero radicum, ut ex sequentibus patebit.

A 3

Et

(s) L. cit. p. 59. & seqq.

(t) Opere diverse del Sig. Antonio Vallisnieri p. 162.

Et hoc Coccum est, ut alias, quarum apud antiquos obscura hinc inde reperitur mentio, nunc taceam species, quo usi fuerunt veteres, tam in Arte Medica, quam in primis tintatoria; donec a Christophoro Columbo & Americo Vesputio detecto Novo Orbe, e nova Hispania s. Mexiocano Regno circa initium saeculi XVI. in Europam deferri coepit nova Coccum species.

II. COCHENILLA Hispanis, i. e. parvum granum, quod Latine recentioribus Coccinella, Cochinella, sive Cochinilla redditur, nec male, me judice, COCCUM AMERICANUM salutari potest. Cujus postquam Europaei in tingendo experti sunt præstantiam, Coccum ex Illice sensim sensimq; neglexerunt, & ad Pharmacopolarum Officinas potius, in primis pro celebratæ adeo Confectionis Alkermes præparatione amandarunt, in ejus locum Coccinellam substituentes, quæ utpote merx multum desiderata magnique aestimata, maxima cura culta fuit & collecta, inque Europam qnotannis majori copia delata. Hujus usus in hodiernum usque diem continuavit adeo, ut in tingendo coccineo & purpureo colore omnem fere absolvat paginam & inter primarias merces, quæ ex America in Europam, ab Hispanis potissimum transferuntur, numeretur.

Hoc autem non granum Vegetabile esse, ut somniarunt nonnulli, quos inter etiam Pomettus (u) est, relatione, ut videtur, fabulosa seductus; sed verissimum insectum, ex foliis Opuntiae cuiusdam (quæ Perillustri SLOANE in vere Magnifico, quod *The Natural History of Jamaica* appellatur Opere (w) *Opuntia maxima*; folio oblongo rotundo, majore, spinulis obtusis, mollibus & innocentibus obsoito; flore striis rubris variegato

(u) *Histoire generale des Drogues* L. I. p. 33.

(w) Vol. II. p. 152.

gato, audit; cuius figuram, una cum modo colendi & colligendi Coccinellam videre licet in jam jam laudati Operis Volumine II. Tab. VIII. & IX.) Mexiocanis *Nopal* & *Tuna* dictæ collectum & exsiccatum, abunde probatur a Clarissimo Godofredo juniore (x). Et nuperrime quoque a Melchiore de Ruusscher dans son *Histoire Naturelle de Cochenille*, justifié par des documens authentiques, huic quam plurimis authenticis testimoniis & documentis ex ipsa Coccinellæ patria magno molimine petitis, lux ingens affunditur, ubi simul lectu dignissima de Insecti hujus Natura, cultura & generatione afferuntur; ex quibus colligi potest, id ipsum ad eundem illum Insectorum ordinem pertinere cum Cocco Ilicis & Cimice Auran- tiorum vulgo dicto, adeoque nullam aliam subire Metamorphosin, præterquam quod ipse Vermiculus quieti redditus, sibi ipsi quasi pro fovendis & excludendis ovulis fiat nidus.

Hisce præmissis ad III. COCCI speciem accedo, quæ a quibusdam auctoribus in primis neotericis ad radices nonnullarum plantarum reperiri traditur, cuiusque in tingendo usus pariter multum commendatur: Hoc ipsum est, quod a quibusdam Auctoribus COCCUS POLONICUS sive *Coccum Polonicum*, in Polonia quia, terrisque adjacentibus in primis copiose invenitur, Polonis *Karmazynowe źiarka*, sive *Czerwiec* dicitur, (y) a me verò COCCUM RADICUM ad differentiam binorum antecedentium, salutatur.

Quod vero hoc Coccum ordine tertium faciam, non ideo fit, quod post Americanum demum innotuerit, sed quod minus cognitum, minusque ceteris in usu sit. Nam si antiquitatem spectemus, ea longe Coccum Americanum superabit; in primis si perpendamus, quæ de Cocci hujus antiquitate

(x) Memoires de l'Acad. des Sciences, l'Ann. 1714. p. 137. & seqq.

(y) Rzaczynski Histor. Nat. Polon. p. 95.

te habet Joannes Leonardus Frischius : (z) quibus probat, jam ante mille fere annos id Monasteriis in Germania nomine *Vermiculi*, Vernacula *Würmlein*, notum & singulis Annis tributi loco a subditis offerri iisdem solitum fuisse.

Circa initium sæculi XVI. vero post renatas expulsa Barbarie litteras, varii Auctores : ut Janus Cornarius (a), Jul. Cæsar Scaliger (b) & plures alii Cocci s. Kermes e radicibus collecti fecerunt mentionem ; sed ratione Plantæ , ex qua ? multum variant : dum Cornarius illud plantæ , quæ similis

Plan-

(z) Beschreibung von allerley Insecten in Deutschland , fünffter Theil. p. 10. & seq.

(a) Janus Cornarius in Dioscoridem ; L. IV. C. XXXIX. qui prodit A. 1557. de Cocco nostro sequentia habet : *Historie gratia id , quod ab Amico quodam peregrinationis admodum studioso & mihi aliquando in illa socio , audivi , adscribam . Nascitur , inquit in Sarmatia ad Russiam spectante , in Podolia appellata regione , herba similis Plantagini , quæ Arnoglossum appellatur . Ad hujus radicem granum unum adnascitur , pulgo istic Zschirbitz , voce ex Kermes , ut puto , corrupta , appellatum , quo ad finem Maij & Junij principium per quatuor hebdomadas collecto , antequam in vermem , alas postea acquirentem abeat , serici & alii panni insciuntur eo colore , quem nostri Scharlach & Karmesin vocant . Ubi colligitur hoc granum , quinta pars talenti , quod nos contenarium dicimus , quinque aut sex aureis Rhenanis venit . Verum inter exsiccatum & preparandum , dum in pulvillum redigitur , tantum ipsi decedit , ut ad nos Francofurdam , allatum , libra unius pondus triginta aut quadraginta plus minus aureis veneat . Granum autem ipsum , singulis radicibus singulum adnascens , lantis magnitudinem non excedit . Hæc descriptio sane multa obscura & quædam a veritate aliena complectitur .*

(b) Exercit. 325. §. 13.

COCCI RADICUM.

9

Plantagini (c), J. C. Scaliger (d) Pimpinellæ, alii aliis, Joachimus Cammerarius vero rectius Polygono Coccifero, Kosmaczek dicto, tribuunt. (e)

Sæculo subsequente XVII. varii Botanici aliquique Scriptores ejus meminerunt: scilicet, uterque Bauhinus (f), Simon Pauli (g), Adalbertus Tylkofski (h), & alii plures, quos omnes fere collegit Rev. P. Gabriel Rzaczynski S. J. in sua Historia Naturali Poloniæ (i). Quæ Georgius Segerus quoque (k) & Martinus Bernardus a Bernitz (l) de Polygono Coccifero Polonico, ejus Cocco, modo colligendi, præparandi & usu in arte Medica ut & Tinctoria habent, quæ legantur, digna sane sunt. Sed vera hujus Cacci generatio & Natura ipsis ignota fuit & post tot observationes & relationes, in Democriti quasi latuit puto.

Hanc ob rem ego a plurimis jam annis Coccum hoc diligenter observavi & oculo tam nudo, quam armato examinavi, idque diversis plane temporibus & annis; ubi pedetentim non sine magna animi delectatione naturam & generationem ejus inspicere intimius & detegere mihi contigit; cuius vero publicationem hactenus distuli, ut observationes repetendi & sententiam meam magis confirmandi suppeteret occasio.

B

Interim

(c) Loc. jam jam citato.

(d) Loc. cit.

(e) Epitome de Plantis p. 691. Quamvis Kosmaczek, secundum Syrenium in Herbario Polonico & Cnapium, Pilosellam, non Pylogonium denotet.

(f) Casp. Bauhinus in Pinace Plantarum L. VII. Sect. V. p. 281. & Joann. Bauhinus in Historia Plant. T. 3 p. 378.

(g) Quadripart. Botanic. p. 113. & seq.

(h) Physic. Curios. Part. 3. Sect. 10.

(i) Tract. II. Sect. 3. p. 95. & seq.

(k) Miscellan. Curios. Academ. Natur. Curios. Dec. I. Ann. I. Observ. 8.

(l) Miscellan. Curios. Academ. Nat. C. D. I. Ann. 3. Obs. 104.

Interim Ao. 1724. Doctissimus Joannes Leonardus Frischius, Vir alias in inquisitione Insectorum curiosissimus & diligentissimus, in utilissimo Opere vernaculo, *Descriptio variorum Insectorum Germaniae dicto*, Parte V. in hoc quoque Coccum radicum incidit, utpote etiam in Marchia reperiundum; quod minus feliciter tamen delineavit Tab. II. & descriptis p. 6. & seq. Ubi quæ de generatione ejus & metamorphosi in insectum alatum sive muscam, ut ante ipsum jam dudum Cornarius, Chemnitius & alii docuerunt, tradit, videre licet.

Fateor me ante plures jam annos ejusdem fuisse sententiae; donec a biennio ex accuratis & repetitis observationibus, adhibita semper in subsidium lente optica, veriora edocutus, longe aliam hujus Insecti generationem & metamorphosin (quod pace Doctissimi Viri supra laudati dixerim, cujus alias studium & diligentiam in hac parte Naturalis Historiae, si modo icones aliquantulum nitidiores forent, laudo & magni facio, ut que eo in stadio, quod incepit, feliciter perget ex animo precor,) reperi, uti ex mox dicendis patebit & Dn. Frischius si mea methodo observations, animo a præjudiciis vacuo, repetere voluerit, ipse experietur.

Non autem jam ab ovo, quod ajunt, sed ab ipso Cocco utpote magis noto & obvio exordiar; prout a medio Junii ad medium circiter sequentis mensis Julii in *Polonia* non tantum, sed & copiosissime in *Palatinatu Kiovienſi*, qui est pars *Ukrainæ*, circa Oppida *Cudnow*, *Piatka*, *Stobdyszcze*, *Berdiczw* & in aliis locis Kiovensi urbi vicinis, ut me Rev. P. G. Rzaczynski, S. J. edocuit, reperitur; nec non in aliis locis, *Ukrainæ* & *Podolie* desertis in primis & arenosis, ut & *Volbinia* & *Lituania*. In *Masovia* pariter observatur prope *Warsaviam* copiose, teste Martino Bernardo a Bernitz & nuperime Excell. Erndtelio in *Viridario Warsaviensi*, *Warsaviæ Physice illustratae* annexo. Præterea

COCCI RADICUM.

II

terea in Borussia prope Thorunium, observante Segero, & Gedanum ex nostra observatione; ut & in aliis Germaniae terris, ut Pomerania, Marchia, Dueatibus Megapolitano & Brunsvicensi & forte quam plurimis aliis, frequens est.

Invenitur autem ad radices *Polygoni Cocciferi*, *Polonis Kosmacek*, Casp. Bauhini, quod me judice non differt a *Polygono Germanico*, *incano*, *flore majori*, *perenni*; Raji, & Celeb. Tournefortio secundum Methodum suam *Alchymilla gramineo folio*, *majore flore*, (m) dicitur, cujus accuratam Iconem una cum Coccis ipsi adhaerentibus Fig. I. L. B exhibemus. An vero in aliis deprehendatur plantis, ut nonnulli voluerunt, quos inter nuperrime adhuc ex relatione testatur laudatus P. Gabr. Rzaczynski, S. J. radicibus quatuor diversarum Plantarum a Russis *Potonicznik*, *Piatyperstica*, *Smotka* & *Kukutika* denominatarum in Kiovieni Palatinatu adhaerescere; ego quidem non plane negare audeo, hoc saltem monens, nec a Martino Bernardo a Bernitz prope Warsawiam, nec a me in vicinia Gedani, studio licet quæsitum, in nulla alia planta, præterquam in hoc *Polygono* (si unam & alteram plantulam *Polygoni minoris polycarpi*, uno & altero Cocco obfitam, quam anno proxime elapso in vicinia alterius *Polygoni Cocciferi* inveni, excipiam) fuisse repertam. Neque tamen in omnibus plantis hujus *Polygoni Cocciferi* Coccum reperitur, sed in quam plurimis, ceteris eodem destitutis; neque ubique, sed tantum in solo arenoso & sicco. Ego id copiose nascens observavi in terris arenosis Monasterio Olivensi subjectis, incultis partim, partim ad agrorum & viarum margines, in planicie in primis illa, quæ non longe distat a mari, nec non in diversis locis montanis Civitati Gedanensi adiacentibus.

Cum jam dictum Polygonum planta sit Botanicis satis nota,
B 2

(m) Institut. Rei Herb. p. 508.

ta, nolo in eo describendo tempus terere, præprimis cum mea figura id quam accuratissime exprimat. Moneo tantum, ut probe distingvatur a *Polygono minori polycarpo*, Tabernæmont: sive *Polygono Gormanico Knawel*, quæ est *Alchymilla supina gramineo folio, minore flore*; Tournef. (*) Planta annua caulinis numerosis, supinis, foliis rarioribus, magisque viridantibus, flosculis copiosis minoribus, viridibus fere, segmentis acutioribus; Cocciferum vero est Planta biennis, secundo scilicet anno flores ferens & semina, caulis plerumque non adeo numerosis (quamvis aliquando robustior planta viginti & plures emittat) sed firmioribus magisque erectis, foliis frequentioribus, magis incanis, flosculis altero tanto majoribus, in medio albis, segmentis obtusioribus præditis.

Est vero Coccum hoc granum sphaericum, diversæ magnitudinis, a seminis Papaveris scilicet ad Piperis albi magnitudinem accendentis, lave, coloris purpureo violacei, instar prunorum Hungaricorum & nitentis, constans cuticula tenui, succum sangvineum includente. Reperitur nunc solitarium, nunc, quod frequentius, plura simul, ad usque quadraginta aliquando in una planta; adhærens radicibus supra dicti Polygoni sub arena, ad digitis transversi usque profunditatem, ut & saepe supra terram radicis capiti & infirmis ramulis, humo incumbentibus, foliola inter arida. Dimidia fere parte & saepe majori tegitur crux quadam scabra, nigro fusca, interne lavei, quæ Coccum ecepit, ut cupula glandem quercinum, idque cortici Polygoni firmiter quasi agglutinat, ita ut laesio in cortice observari haud possit, neque in Cocco vestigium, quo medante adhæserit cupulæ.

Hoc Coccum a villanis circa festum St. Joannis Baptistæ collectum & in patellis fictilibus, exhibito igne lente exsiccatum,

(*) Instit. R. Herb. p. 508.

tum, pingvedine quadam quasi scatens & materiae rubrae tincta parum continens, odorem fundit penetrantissimum haud ingratum urinosum quamvis, multi Salis volatilis in eo latenter testem.

Quondam in magna quantitate ex Polonia Gedanum & in alias regiones transportatum fuit, ita ut sub Rege Sigismundo III. pro eo vestigia a mercatoribus persolutum testetur. Constitutio in Comitiis Generalibus Regni, A. 1601 (*); nunc vero nescio quo fato a Polonis neglectum, non nisi parcissime a Judæis & quidem potissimum curiositatis gratia ad nos defertur.

Ut experirer quid ex his Coccis fiat, plurima collecta Mensibus Junio & Julio adhaerentia partim Polygono, partim vero ab eo soluta immisi vitris, ita tamen, ut liber aëri pataret ingressus, & radiis exposui solaribus. Tumque circa solstitium aestivum & diebus sequentibus adusque 24. Julii circiter, successive ex quovis Cocco excludebatur Vermis, magnitudinis, ratione Coccis diversæ, cuius semper rationem habebat, hexapus, decem gaudens intersectionibus, cuius anterior pars capitis vicem gerens & duabus praeditum antennis brevibus & carnosis, nullum nec oris, nec oculorum, ne oculo quidem armato offerebat vestigium; in tergo duos secundum longitudinem monstrabat sulcos, qui pro vario animalculi motu, nunc magis, nunc minus evadabant apparentes. Inferne pedibus instructus erat sex, utrinque scilicet tribus, unguiculis munitis totidem, qui in pare primo robustiores erant, & ni-

(*) Nimirum in *Instructione exigendi Telonei novi finitimi*, tam in majori, quam minori Polonia. Dat. Warsawie d. 13. Martii A. 1601. inter Merces, a quibus Novum vestigia exigendum indicitur, recensetur & Czyrwiec, quod cum Czerwiec idem esse contendit laudatus P. Rzaczynski.

gricantes. Totus Vermis coloris obsolete purpurei & insuper pilis raris ex fusco griseis præditus.

Hunc & quidem primæ magnitudinis oculo nudo visum exhibet *fig. 11.* eundem vero microscopio auctum pronum *fig. 12.* & supinum *fig. 13.* Pro vario corporis motu, nunc longior, nunc contractior crassiorq; apparebat, immo immotus quasi in globum convolvebatur, quem situm quoq; in Cocco ante exclusionem habebat, *Vid. fig. 14.* quam *fig. 15.* etiam magnitudine auctam exhibit. Maximus, ut observavi, tres lineas longitudine, duas latitudine & unam crassitie assequebatur; minimus vero unicam circiter lineam longus & parum supra dimidiam latus erat. Hi vermes circa meridiem radiis imprimis solaribus expositi moventur prorepuntque tacti vero, ut & circa vesperam, vel cœlo nebuloso & frigido existente, immoti & contracti jacent, ut supra dictum est.

Cœlo calidiore prorumpunt & latibula quærere videntur, ni vitro coérceantur, alimentorum autem aliquid assumere, vel excrementa deponere & augeri, vel sexu differre, aut alterum cum altero coire, observare haud potui.

Ejusmodi vitam vivunt hi vermes, aëre & calore exceptis, nihil indigentes, per dies decem, quatuordecim & ultra. Tum nonnihil contracti se dant quieti, inquieti brevi antea & se inire contorquentes atque purpuræ instar rubentes, brevi post plurimi, quasi situ obducti, candidissima lanugine instar Gossypii, sed longe subtiliori, undique per corporis poros transsudante & efflorescente, tecti, figuram nunc sphæricam, nunc irregularem & elegantem aliquando acquirunt; *Vid. fig. 17.* magnitudine auctum *fig. 18.* una cum ovis *fig. 19.* exhibet, subinde parte quadam Vermis lanugine vacua, quibusdam quoque absque lanugine remanentibus & morientibus.

Est vero lanugo hæc tantæ subtilitatis, ut vel lenissime digitis tractata, mox in pulverem ferme inpalpilem fatiscat oculosque fugiat.

Et

Et hæc sane jucunda coloris purpurei in niveum metamorphosis egregium dicti illius Jesaiæ l. 18. (*si peccata vestra fuerunt ut Coccus, nibe redduntur albidiora; si rubent instar purpura, sicut nativa lana sunt*) præbere Emblema & Symbolum, quis non videt.

In hoc statu Vermes remanent per dies quinque, octo pluresve, quibus elapsis singuli ova emittunt, numero quinquaginta, centum, immo aliquando plura, partim chartæ, cui impositi, incumbentia, partim vero lanugini intricata; Vid. fig. 2. eadem ova magnitudine aucta monstrat fig. 3. & 19.

Anni præteriti vigesima Julii ejusmodi Vermem lanugine undique tectum ope microscopii, ut sæpius antea examinavi, ubi in lanagine ultra quinquaginta ovula recenter exclusa deprehendi. In meditullio lanuginis ipse Vermis latebat contractus & flaccidus, nulla plane vitæ signa edens. Compressus digitis in parte postica monstrabat foraminulum rotundum, per quod sanguis prodibat & vermis procul dubio antea ova pepererat; in sanguine dicto modo expresso ultra viginti ovula adhuc, ceteris figura & magnitudine paria, numerabam, necdum parta. Præterea nulla viscera in verme distincte observare potui, dum expresso sanguine cum ovulis, præter exuvias vermiculi, nihil remanere videbatur.

Ova jamjam memorata nudo oculo nonnisi puncta apparent oblonga & rubicunda; lente vero armato, magnitudine & figura ovorum formicarum vulgo dictorum, fere pellucida, rubicundi coloris cum nitore, adeo tenera, ut vel leniter tacta, vel compressa diffileant & contentum sanguineum laticem dilutum effundant. Subinde alterum alteri in linea recta adhæret. Recenter parta pulvisculo, instar Cyprii, albo, conspersa spectantur, a lanagine ambienti supra descripta oriundo.

Ex his ovis radiis solaribus expositis circa festum Sti. Bartholomæi i. e. 24. Augusti, ubi Sol signum Virginis ingreditur &

& subsequentibus diebus, Vermiculi excluduntur, ex singulis singuli, ovorum suorum magnitudinem circiter habentes, hincque non nisi ut puncta pariter oblonga & rubicunda, sed opaca & sepe moventia apparentes. *Vid. fig. 4.* Lente vero optica in subsidium vocata, Vermiculi spectantur purpurei, aliquot insectonibus distincti, hexapodes, pedibus postremis longioribus, capitulo duabus antennis praedito, alvo vero seu podice duabus subtilissimis setis griseis, instar pilorum ornato, quae non nisi in Vermiculo chartae nigræ imposito apparent. *Vid. fig. 6.* Primis post exclusionem diebus, setis hisce ovorum exuviae sive reliquiae albescentes adhaerere & ab animalculo circumferri solent. *Vid. fig. 5.*

Hi vermiculi in vitro servati initio satis celeriter prorepunt, dein vero torpore incipiunt, aere in primis frigidiore existente, Solis radiis vero redeuntibus, redit motus, sed tardior; donec elapsis quatuor circiter septimanis, nullus plane motus; ceu vitae indicium in iis detegi possit, quod nutrimenti defecuti adscribendum reor.

Eousque Coccii metamorphosin in Museo oculis examinavi & expertus sum, nunc quaestio remanet quid porro cum hisce vermiculis contingat ruri & qua ratione in nova abeant Coca, sive grana sphærica, quod sequentem in modum fieri non sine ratione, immo multum probabiliter conjector, donec ulterior experientia, vel conjecturæ huic meæ adjecerit calculum, vel certiora edocuerit.

Nimirum reputo I. hos vermiculos *fig. 4. 5. 6.* ex ovis *fig. 2. 3.* prodeuentes sexu nequaquam differre, quemadmodum nec illi qui ex Cocco Ilicis, testibus Garidello & Cestono & ex Cimicibus Aurantiorum, ut idem Cestonus & Vallisnerius testantur: II. Eos per aliquot tempus in campis divagari & nutritiri; donec III. se affigant radicibus & ramulis Polygoni Cocciferi *fig. 1.* junioris, ubi sensim motu locali & sensu destituti,

quo-

quocunq; demum modo inbibunt nutricium succum ex eodem Polygono , sensimq; IV. transmutantur in Cocco *fig. 7. 8. 9. 10.* stricte dicta, sive vesiculas sanguineo succo repletas, qualia Junio mense spectantur; calyce *fig. 7. 8.* supra memorato procul dubio ex exuviis vermiculi cum succo terreo mixtis orto. In hoc statu remanent, donec justam muturitatem adepti; tunc V. circa solstitium æstivum ex singulis Coccis singuli prodeunt vermes *fig. 11. 12. 13. 14. 15.* supra descripti, sexu non distincti, quoram unicum officium esse videtur, ut in se ipsis ova & generent & fœcundent & fœcundata pariant; remanentibus exuviis *fig. 16.* expressis. Et hi vermes, qui perfectionis culmen in suo genere assediti videntur & cum Cocco Americano tantam habent similitudinem, imprimis ubi se quieti dare incipiunt ovisq; repleti sunt, hoc ipso tempore pauxillo aceti conspersi, lenissimo igne in fistili vase exsiccandi & in loco sicco pro usu tam Tinctorio, quam Medico asservandi sunt, quia in iis materia tingens & copiosior & excellentior reperitur, quam in Coccis illis vulgo ex Polonia asportari solitis. VI. Ova *fig. 2. 3.* eduntur postquam vermes se quieti tradiderunt & lanugine tecti sunt, *fig. 17. 18.* quod fit circiter quatuor hebdomadis elapsis post exclusionem, Sole scilicet signum Leonis salutante. Non autem adhærent vermi, vel ab eo involvuntur, sed vel lanugini ambienti adhærentia, vel in vicinia dispersa reperiuntur: *fig. 19.* Ex quibus post præteritas iterum quatuor hebdomadas Sole Virginem adeunte, denuo excluduntur caloris ope Vermiculi No. 1. descripti, quorum officium esse videtur, ut sibi quærant nutrimentum & locum, ad subeundam metamorphosin in nova Cocco.

Aliqando inter Cocca cum Polygono collecta & vitro inclusa parvulae quædam observantur muscæ, corpore pedibusque sex nigricantibus, capite binis antennis instructo, alis totidem albis & pellucidis in externo margine macula oblonga coccinea notatis, podice setis subtilissimis aliquot cinereis, radiatim positis, longitudine muscæ corpus superantibus ornato.

C

Hæc

Hæc brevioris ævi est, vix enim diem unum vel alterum super-
vivit. *Vid. fig. a.* qvæ eam naturali paulo majorem & *fig. b.* qvæ
microscopio multum auctam refert. Et hæc est Musca, qvæ
plurimis, qvi Cocci mentionem fecerunt, imposuit, ut crede-
rent eam ex Cocci verme supra descripto, metamorphosi mul-
tis Insectis familiari transformari; qvorum vestigia secutus
est Frischius supra laudatus. Immo me analogia qvadam in
metamorphosi Muscarum & Vesparum Ichnemonum obvia sed-
ductum in eodem per aliquot tempus errore versatum fuisse
lubens fateor, ipsumqve Coccum, ex ovis ab hac Musca ad
radices Polygoni depositis, Gallarum instar, ut Comes Mar-
silius de Ilicis Cocco statuit, crescere, putasse; qvamvis captu
mihi semper fuit difficile, qva ratione ex verme majusculo
Musca adeo exigua & subtilis formaretur. Dōnec paucis ab
hinc annis summa *ανεβάσις*, in naturam horum vermium inqui-
rens, in lanugine qva tegebantur, minuta qvædam corpuscula
rubicunda detegerem, qvæ pro squamulis a verme relictis
initio habebam, mox vero microscopio instructus pro veris &
genuinis ovulis agnoscebam, ex qvibus postmodum qvam sæ-
piissime, jucundo mihi sane spectaculo vermiculos excludi vi-
vos vidi, ut supra explicui.

Muscam vero descriptam suam conjector originem de-
bere vermiculo cuidam qvi Julio & Augusto Mensibus ali-
qvando etiam inter Cocca reperitur, cum iis vero nullam ha-
bet affinitatem. Oculo nudo visus hic vermiculus, punctum
refert oblongum celerrime prorepens ut *fig. c.* exhibet; arma-
to vero *fig. d.* vermis apparet longo & angusto corpore, ali-
quot infectionibus distincto, postica parte accuminata, sex pe-
dibus & in capite duabus armatus antennis, coloris nunc pal-
lidi, nunc rubri obscurioris. Hujus generis aliquot in vitro
conservavi, ultra quatuordecim dies sine alimento vegetos, qvi
vero ante transformationem decedebant, nutrimenti ut autu-
mo defectu.

Atque

Atque hac ratione cum nostro Cocco similis error natus est, qui cum Cocco Ilicis: dum Illustriss. Marsilius Vermiculos ex Cocco natos in muscas transformari putavit; eas vero tales non esse, sed muscas esse Insecta sui generis, in Coccis tantum ab ovis ibidem depositis generata, uti Vespa Ichneumones saepe in Erucis, ex Nissolio, Garidello & Cestono supra annotavi. Immo nullus dubito Insectum illud alatum, sive parvum ut vocant papilionem, quem super Coccum Americanum nonnuuquam volitare testantur Hispani (n) pariter sui generis Insectum a Cocco diversum esse.

Ex omnibus iis, quae haetenus dicta sunt Coronidis loco concludo:

- I. Coccum ex Ilice, esse Insectum alis destitutum, hexapus, sexu, prout apparet, non distinctum, quod brevi Ilicis se affigens cortici, motu locali & sensu destitutum, sub specie grani sphærici, Vegetabilium indolem induere videtur, mole augetur & semina, sive ova in sinu suo perficit fœcunda, ex quibus ope caloris solaris excluduntur Insecta, priori plane similia.
- II. Coccum Radicum vero esse Insectum alis destitutum, hexapus sexu prouti apparet non distinctum, quod dein vero Polygoni supra dicti summis radicibns se affigens, motu locali & sensu privatum, sub specie grani sphærici, Vegetabilium indolem acquirere videtur, & mole augetur; ex quo post determinatum tempus iterum excluditur vermis a priori diversus, quamvis eidem multis proprietatibus similis, qui neque nutritur, neque augetur, nec sexu diversus apparet, ova tamen in se ipso perficit

C 2

perficit

(n) Vid. *l'Histoire Naturelle de la Couchenille*, par Mr. de Ruysscher
p. 21.

HISTORIA NATURALIS

perficit sœcunda & post determinatum tempus lanugine regitur iterumque motu locali destitutus contrahitur & semina seu ova expellit ; ex quibus post aliud iterum determinatum tempus ope caloris solaris , vermiculi excluduntur primo sane similes. Coccum nostrum Radicum igitur a Cocco ex Illice in hoc tantum potissimum differt , quod nostrum duplē subeat metamorphosin , dum vermiculus ex ovo exclusus , nutriendus , abeat in Coccum striete dictum , ex Cocco vero prodeat vermis alius in statu perfectionis non indigens alimento , cuius officium est ova perficere & parere , quibus peractis moritur. Coccum ex Illice vero fit ex vermiculo , qui præterea nullam patitur metamorphosin , sed sub specie Coccii , sive grani parit ova , eademque in suo sinu excludit , dum ipse moritur . Ast Americanum proprius longe ad nostrum radicum accedere colligo , in primis si illud fig. A. B. C. cum verme , qvi ex Nostro Cocco excluditur , & fig. 11. 12. 13. 14. & 15. exprimitur , conferatur ; consulendo similex plicationem figurarum annexam . Qvod vero Americani generatio , nec dum adeo clare innotuerit , Hispanorum in America degentium minori in rebus physicis curiositati adscribendum esse reor .

Hæcqve sufficient de Coccii nostri Radicum natura , generatione & metamorphosi ; specialia de Examine ejus Chemicco , ut & Usu Medico & Tinctorio alii temporis reservantur . Colophonis loco circa collectionem & culturam ejus monendum : censura dignos videri Polonos & omnes , qvi ejusmodi thesaurum , quem benigna nobis natura largitur , negligimus atque ex dissitis terris , non sine magno vitæ discrimine multisqve laboribus & impensis res tales petimus ,

qva-

qvalis quotidie pedibus calcamus & vix aspectu, multo minus curiositate nostra & cura dignas judicamus. Sed ita proh dolor cum hominibus comparatum est, ut propria bona despiciant, e longinquis terris vero petita, licet aliquando deteriora suspiciant & extollant. Sed o nimium felices, si bona nostra nossemus!

Exemplo fit Coccum, de quo agimus: Quantus enim ex diligentia cultura & abundantia collectione non redundaret fructus, terrarum Cacci feracium possessoribus redditusque eorum augerentur anni, ut Vectigalia publico inde persolvenda nunc taceam. Neque est quod aliquis pejorem Cacci nostri conditionem praे eo ex illice & altero Americano nobis objiciat; neque quantitatem ejus modicam adeo & vix consideratione dignam. Nam quantum ad prius nostrum Coccum memoratis, si modo convenienti colligatur tempore & rite ac cum iudicio tractetur, neque quod ad virtutes Medicas, ut Martinus Bernardus a Bernitz (o) expertus docet, neque quod ad illas, quas in Arte Tinctoria præbet, ut plures testantur, ullo modo cedere crediderim. Quod posterius vero concernit, considerandum, copiam hujus Cacci non adeo modicam esse, cum Scriptores in campis desertis Ukrainæ & in specie in Kiovensi Palatinatu nec non in Podolia admodum copiose nasci testentur. Immo quis dubitat subditorum diligentia & labore, in primis si ipsis certa huius Cacci quantitas, Dominis suis anni tributi loco exhibenda injungeretur, quemadmodum olim Monasteriis in Germania illam fuisse consuetudinem, supra annotavimus, ipsa adeo necessitate animatis, culturam & collectionem sensim sensimque promotum iri. Labor enim & industria hic requiruntur. Quemadmodum

C 3

dum

(o) Miscellan. Curios. Acad. Nat. Cur. D. 1. Ann. 3. Obs. 104.

22 HISTORIA NATURALIS COCCI RADICUM.

dum enim Coccum Americanum, qvod sane ut supra docui-
mus, cum hoc nostro magnam habet affinitatem ab Hispanis
in Mexiocano Regno, magna solicitudine coli & colligi ex
relationibus & Historiis constat, unde tanta ejus suppetit co-
pia, ut inde non contemnendus thesaurus qvotannis in Euro-
pam transfundatur; ita qvoqve vix restat dubium, idem cum
Cocco nostro fieri posse; inprimis si ad rusticorum subdito-
rumque industriam & laborem, Instructio accederet Viri
cujusdam in rebus Physicis probe versati.

TANTUM.



Expli-

Explicatio Figurarum coloribus suis nativis pictarum.

- Fig. I. *Polygonum Cocciferum, Polonicum; cum adhaerentibus Coccis majoribus, minoribusque.*
2. *Ova ex quibus vermiculi excluduntur, qui deinde in Cocco abeunt.*
 3. *Eadem microscopio visa.*
 4. *Vermiculi ex modo memoratis ovis exclusi.*
 5. *Horum unus cum exuviis adhuc adhaerentibus, lentis ope magnitudine auctus.*
 6. *Idem depositis jam exuviis.*
 7. *Coccum cum calyce.*
 8. *Idem magnitudine auctum.*
 9. *Coccum a calyce liberatum.*
 10. *Idem magnitudine auctum.*
 11. *Vermis secundi ordinis ex Cocco exclusus.*
 12. *Idem magnitudine auctus.*
 13. *Idem supinus.*
 14. *Idem prouti contractus appareat a tergo conspicuus, naturali dimensione.*
 15. *Idem magnitudine auctus.*
 16. *Exuviae Cocci post vermem exclusum.*
 17. *Vermis lanugine tectus candidissima.*
 18. *Idem magnitudine auctus.*
 19. *Idem lanugine magis afflorescente & diffusa, cum ovis, qualia fig. 3. exhibet, apparentibus, pariter magnitudine auctus.*
 - a. *Musca exigua, que subinde inter Cocco & circa Polygonum Cocciferum reperitur, naturali paulo major.*
 - b. *Eadem microscopio, quo ceterae figurae, visa. Hæc suam a Cocco non dicit originem, ut multi putarunt, sed ab alio verme & quidem ut ego opinor a expressis vermiculis.*
 - d. *Horam unus lentis ope auctus optica.*

Tres

Tres figuræ seqventes desumptæ sunt ex Melchioris de Ruuscher Tractatulo de Cochenilla supra citato, ad demonstrandum qvam proxime accedat dicta Cochenilla, sive Coccum Americanum ad Coccum nostrum radicum.

- A. Cochenilla aceto macerata, nudo oculo visa, supina. Conferatur cum meis fig. 11. & 14.
- B. Eadem microscopio visa, ubi quinque crurum reliquie cum sexto adhuc integro spectantur, conferenda cum fig. 13.
- C. Eadem a tergo pariter lentis ope visa, conferenda cum fig. 12. & 15.


Ego qvoqve in macerata Cochenilla sive Cocco Americano omnia ita inveni, ut figuræ jam memoratæ indicant, excepto crure, qvod integrum necdum mihi deprehendere, uti Dno. de Ruuscher, contigit; nec mirum cum crura partim exsiccatione partim detritione facile pereant: Quemadmodum etiam in vermis ex Cocco radicum nostro, exsiccatis & postmodum maceratis, cruribus ne vix qvidem conspicuis, observatur. Præterea & pili in vermis ex Cocco radicum modo dicto maceratis non apparent; unde haud inepte colligi potest, eosdem etiam in Cocci Americani vermis viventibus reperiri, exsiccatione vero evanescere.

Denique & hoc notatu dignissimum est Cochenillam illam Americanam maceratam, repletam esse magna ovorum, ovis illis Cocci radicum fig. 2. & 3. depictis magnitudine & figura simillimorum copia: prouti microscopium ad oculum demonstrat.

Hæc omnia si probe mecum perpendo, vix me continere possum, qvin credam, Coccum nostrum idem esse cum Americano Insectum, patria tantummodo & nutrimento diversum, vel ad minimum parum inter se differre.









Pet. Boë Sc.

DISSEMINATIO RHETORICAE
POLYGRAPHIA
COMPUTATRICE
REFINIS. PRISCIUS
SCHEMATICAE
EGIENSIS
METHODICAE DISCIPULI
CONTRARIA
TAKESHI
MITSUJI